

Franckesche Stiftungen zu Halle

Oeconomia Temporum Novi Testamenti, Exhibens Gubernationem Dei In Ecclesia

Majus, Johann Heinrich

Francofurti ad Moenum, MDCCXXI.

VD18 11274050

Praefatio Ad Benevolum & Candidum Lectorem.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permission, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-199398



PRÆFATIO

Ad

BENEVOLUM & CANDIDUM LECTOREM.



Prodit nunc etiam *Oeconomia Temporum*,
brevis quasi tabella & succincto ordine
exhibens Gubernationem DEI in Eccle-
sia Christiana sub Novo Testamento.
non sine magno labore & ardentibus
precibus, quibus divinam lucem & o-
pem assidue imploravi, inter tot tantas-
que occupationes, quæ me in variis mu-
nerum diversorum partibus distrahebant
districteque tenebant, tandem cum DEO confecta. Quem sco-
pum habuerim mihi præfixum, quidque in hoc opere præstiterim,
nihil attinet prolixè commemorare, quum de his omnibus fufè di-
cendeque fîm præfatus ad *Oeconomiam Veteris Testamenti*, quæ
ante biennium prodiit; unum quippe, utrobique mihi institu-
tum, unus ordo observatus fuit. Non possum tamen, quin
data sumptave hac occasione cum ad excitandos informandosq;
Studiofos, tum ad me defendendum contra iniquos & malevo-
los

*

los

PRÆFATIO

ios quosdam Censores, pauca alibi prolixius dictis addam. In dies enim teporem magis magisque non absque dolore deprehendo apud bene multos, in legendis scrutandisq; divinis literis, quibus tamen impendere omne tempus debebant Theologiæ & Doctores & cultores, ac eo nomine non tam meas, quam D. Lutheri aliorumq; virorum de Ecclesia Evangelica optime meritorum, querelas ac admonitiones, prout occurebant, adduxi; si forte aliquo pietatis reverentiæq; affectu à non nullis saltem reciperentur, ut evigilarent, & alacriter facerent, quæ DEUS, quæ demandati officii ratio, quæ salus propria & aliorum postulat atque efflagitat. Nec alia via nunc incedam, majoris autoritatis & securitatis gratia. *Megalandrum* in acie colloco, qui in præfatione ad Annotationes in aliquot Capita Matthæi * de seipso scribit, quod ab adversariis suis per vim in publicum tractus nihil aliud spectaverit, quam si suo officio posset Studiosos ducere ad ipsos fontes, scilicet, ad ipsas sacras literas: quo sibi videatur non omnino infeliciter, per DEI gratiam, persunctus, cum extent nunc ipsa Biblia, tum Ebraea, Græca, Latina, tum etiam Germanica, ita pro maiore parte illustrata, ut quilibet (modo sit pius & studiosus) seipsum in sacris Scripturis saginare possit. Quamobrem etiam dicit, non invitum se videre suorum librorum interitum, & metuentium, ne, dum nullus est libros faciendi finis, brevi tempore multitudo non optimorum librorum obruat paucitatem optimorum, & rursus tandem ipsa quoque Biblia obscurata redigatur sub modium aliquod infelicius, quam prius; quemadmodum post Apostolos accidisse constet, qui Biblia in lucem produxerint; sed posteritatem, auctis in immensum libris, eo tandem deduxissem, ut pro Bibliis Doctores, Patres, Concilia, potestremo Decreta, Sophistas & infinitas hominum feces docere & discere cogeretur Ecclesia. Ad extremum monet graviter omnes,

* Tom. IIII. Jen. Lat. F. 293.

AD BENEVOLVM ET CANDIDVM LECTOREM.

omnes, ut ita scribamus, legamus, doceamus, discamus, ne reli-
ctis Bibliis denuo nobis acervemus Patres, Doctores, Concilia, De-
creta, Articulos, Decretales, & colluviem humanarum traditio-
num & opinionum. An paternis monitis locum reliquerint,
quicumque in Scholis Theologicis docent discuntve, invidia
declinandæ gratia, malo alterius Theologi, me multo doctioris,
melioris & peritioris, quam meis verbis ex ponere, quæ digna
quoque judicavit B. P. Tarnovius, ut Panegyrico, quem in Ju-
bilæo Lutherano Rostochii A. MDCXVII. recitavit, ea in secre-
ret & approbaret. Plerique, qui professione sumus Theologi, omni-
bus rebus plus ocii, studii, temporis ac laboris, quam Scripturæ
lectioni assidue tribuimus; ita ut decentum Theologis vix unum
invenias, qui in vita semel Biblia tota attente perlegat: de mille
non unum, qui tota intelligat: de decies mille nullum, qui eo studio
singula in iis examinet, trutinat ac perpendat, quo plerique plana
nobis facimus, quæ obscura & difficilia sunt in Homero, Pindaro,
Ovidio, Virgilio, Dioscoride; ubi apices, syllabæ ac voces singulæ
exactissima diligentia ponderantur.

Hæc & plura ejusmodi alia effata, præter Oracula coele-
stia, non exiguum mihi metum trepidationemque incusserunt,
postquam docendi in publicis Scholis partes mihi impositæ
sunt, easque proinde, pro gratia & viribus à DEO concessis,
Sacrarum literarum scrutinio inprimis impendi, & Audito-
res ad ingrediendam suscipiendamque sanctissimi hujus studii
rationem assidue adhortatus sum, eoque manu quasi duxi
seguaces. Vellem etiam libens, si DEO sic visum esset, re-
liquum vitæ meæ spatium, quod non longum mihi promit-
to, istis laboribus unice tribuere ac immori, sentiens cum B.
Walthero & mea faciens verba ac vota:

PRÆFATIO

*Una salus mihi sunt Sacra Biblia, sola voluptas,
Quæ perscrutandis immoror, immoriar.*

Novam rixosam Theologiam, quam B. Lutherus post obitum suum adornaturos multos, varidico quasi spiritu prædixerat, in qua de non necessariis & incertis questionibus periculosa & intricata disputationes moventur, odi & fugio, DEO quæ meo gratias humiliter ago, quod hucusque nemini publice concesserit lites infelices, & his temporibus vulgares, mihi movere, ne ab uno necessario avocarer. Rogo etiam Dominum, ut me & Ecclesiam, quod Matthesius optare solitus est, deinceps, & semper à Doctore glorioso, & Patre contentioso, & inutilibus questionibus liberet. Si vero DEO placuerit tentare me per maledicos, ut non vanis, sed certis rumoribus & nunciis accepi, ab aquilone mihi parari malum, divina ipsius ope ac fortitudine bonaque conscientia fretus, tela ignea Diaboli scuto fidei facile extinguam, & gladio spiritus larvas infernales concidam. In præfatione ad Oeconomiam Veteris Test. satis modeste exposui mentem meam, & præcupare studui optrectatores & suggillatores verbis Lutheri; cordatis autem doctisque viris gratias meaturum decentes significavi, si amice me monuerint errantemque in viam reducerint. Homo sum, nilque humani à me alienum scio; neque tamen vel errare sponte, nedum in errorem alios inducere, aut in eo perseverare velim; hoc enim plane diabolicum esset, quod DEUS à me prohibeat in posterum, ut hucusque prohibuit. Testabuntur omnes mei auditores, quod nunquam ab iis petierim, ut mihi quidquam

AD BENEVOLVM ET CANDIDVM LECTOREM.

quam crederent & tanquam verum reciperent, quod non habeat firma & perspicua testimonia Scripturæ S. & ad hanc infallibilem regulam semper eos remisi. Nulla ergo causa est, cur novus aliquis Inquisitor hæreticæ pravitatis, vel, ut mollius dicam, Aristarchus, subdole hinc inde sciscitatus sit, *quas schedas passim distribuerim, quæ molimina susceperim, quas sententias amplexus sim, & quæ alia sint, quæ me suspectum reddere possint, de quibus accuser, siue ad explicandam Scripturam, siue ad mores emendandos referantur*; etiam tum, cum ipsi respondebatur à Theologo, ad quem sub fide silentii scripserat, rumorem esse οἰδῆσθαι, qui aures ejus verberaverit; nullas se schedas scire, minime omnium autem se mihi in dogmaticis opposuisse, alias id haud intermissurum, si dogmata suspecta hoc tempore sparsissem. Nemo pius, nemo Christianus, nedum Theologus, est, qui me jure de errore aliquo accuset, nemo, qui convineat. Diabolus, calumniarum & mendaciorum pater est, qui has nugas spargit, iisque fidem est, impedire & proscribere allaborat. Quod qui non videt, cæcus est, ut Angelus Ecclesiæ Laodicensæ, collyrioque indiget: qui videt, & tamen obnititur ac contra stimulum calcitrat, malitiosus & maledicus est. Verum missis his querelis, paucis attingam, quæ ad *Oeconomiam* præsentem spectant. In ea concinnanda fidem me DEI oeconomum præstare studui, ex ore CHRISTI & Apostolorum pendendo, & οἰκονομίαν instituendo. In Historia Evangelistarum brevior fui, quam in aliis libris & scriptis Apostolorum, quia nuper admodum *Harmoniam Evangelicam* concinnavi, ibique fusius omnia exposui. Epistolas insigniores difficiliioresque illustrare ita sum conatus, ut existimem, attentos lectores sensum genuinum facilius ex concisa, quam dedi,

PRÆFATIO AD BENEV. & CAND. LECTOREM.

dedi, circumscriptioe assequi posse, quam ex spissis voluminibus commentatorum, vel ἰδίαν ἐπίλυσιν vel aliorum sequentium & propinantium. Optimos interpretes quidem etiam inspexi consuluique subinde, non tamen improvide eos sum secutus, sed meum adhibui iudicium, & ab illis discere, nulla mihi religio fuit, ubi simplicior apparuit explanationis ratio. Quorum vestigiis insistere ubique potuissem, nullos vidi, aut novi. *Wilhelmus Morina* enim Tomo secundo Oeconomiz digressiones potius vel Locos communes tradere, quam seriem temporum & Librorum sacrorum observare videtur: nec ad finem perduxit, quod instituit. *Fridericus Lehnhoffius* quoque in Catena sua ordinem non semper servavit, aut nobis ubique satisfecit. Neque nos omnibus placituros esse, scimus, atque eo nomine veniam ab æquis lectoribus petimus, donec meliora & elaboratiora, cum DEO & die, dare queamus. Eousque, & semper, optime valere omnes iubemus.



CONSPE-